

Nonnumquam fabula non modo fabula est

Duo viri apud pratum:

„Heu! Iterum cadaver novum! Iterum non in theatrum cum uxore ire et tragoediam Senecae spectare possum. Me miserum! Cur decrevi tempus meum consumere, ut caedes detegerem?“
„Quam asper es! Quomodo cogitare in theatrum ire potes, dum corpus mortuum aspectas? Quod impudentissimum est!“ „Ah equidem impudens est, sed cur hae caedes semper accidunt, cum tragoediae Senecae in theatro aguntur? Quotiescumque mihi licet in theatrum ire et spectacula videre, mihi caedes inquirenda est. Nonne meministi casus infantis muris deiecti feminaeque apud sepulchrum necatae?“ „Memini scilicet. Crudelissimum fuit. At cur hoc interrogavis?“
„Hoc facinus accidit die, qua proxima tragoedia Senecae in theatro acta est. Qua die hoc spectaculum videre volui, sed propter has mortes non potui.“ „Haec omnia casu tempore simili acciderunt.“ „Vero credisne? Alterum exemplum tibi dabo: Duobus ante annis adolescentem, cuius corpus distractum erat, in silva repperimus. Numquam aliquid tam atrox conspexi. Et eadem die, qua adolescentem lamentabilem reppereramus, tragoedia Senecae acta est. Haec non casu evenerunt. Impossibile est.“ „Quid igitur hoc significat?“ „Quotiescumque tragoedia Senecae agitur, caedes accidit.“ „O caelestes! Nunc intellego! Mihi dic! Quomodo hae tragoediae appellantur?“ „Inscriptio tragoediae duobus ante annis actae ‘Phaedra’ est. Altera ‘Troades’ inscribitur.“ „Heu! Nonne intellegis? Quodquod evenit in theatro, etiam accidit in urbe. Infans muris deiectus imitatio est Astyanactis, femina necata Polyxenae, adolescens distractus Hippolyti.“ „Res ita est ut dixisti.“ „Sed ... si hoc verum sit ... quem hoc corpus mortuum hic iacens imitetur?“ „Corpus feminae est. Illa flagravisse videtur.“ „Vide! Iuxta illam vestis aurea iacet! Heu! Inscriptionem tragoediae, quam hodie spectare voluisti, mihi dic!“ „... ‘M-M-M-Medea’!“ ...

(Thema 2: Ermittlungen am Tatort eines beliebigen Mythos der Seneca-Tragödien)

(Thema 3: In Rom wird eine Tragödie aufgeführt...)